

- Ordo*
- I. *Communis s[er]m[on]is de Compi[gn]o ad Carolum*
 - II. *M. Adami Traversi i. de Pueris & alijs centum*
 - III. *Chrysostomi de Trinitate s[er]m[on]e de Carolo V. Ferdinando I.*
 - IV. *Salomonis Alberti de H[er]odo & Cicerone.*
 - V. *Quidem i. de iudicio & libell[is] de Amm[on]io*
 - VI. *de Bile Sermonatione*
 - VII. *de Maximiliano II.*
 - VIII. *de Immortalitate Animae*
 - IX. *Fachini de Best. de Uita s. Petri.*
 - X. *Petri Vincentii de Protectione ecclesie.*
 - XI. *de Uita & moribus s. Petri.*
 - XII. *de studio & rectoribus.*
 - XIII. *Dresseri de H[er]odiano & rectoribus.*
 - XIV. *Communis s[er]m[on]is de disciplina*
 - XV. *Imagis Regis de Philippo de Lang.*
 - XVI. *Robitieri de Uita Sabina*
 - XVII. *Uita s[er]m[on]is consignata i. P[er]m. Albino.*
 - XVIII. *de Philosophia s[er]m[on]is s[er]m[on]is de studio & rectoribus.*

EX LIBRIS
 ILLUSTRISSIMI VIRI, *Sc, 24*
 DN. DAN. LVDOLPHI,
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATVS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.

Davidis Chytræj

ORATIO
DE STUDIO
THEOLOGICÆ, EXER-
CITIIS VERÆ PIETATIS ET
Virtutis potius quàm contentio-
nibus & rixis disputatio-
num colendo.



— 16.
VVITEBERGÆ,
Excudebat Clemens Schleich.

M. D. LXXXI.

DE STADIO
THEOLOGICAL
LIBRARY
UNIVERSITY OF
TORONTO
1827



ORATIO.



*V*M Illustrissimi & optimi Principis, Domini nostri & patris patriæ clementissimi autoritate & mandato; non curiositate aut consilio privato, in hanc Academiam euocatus, ad tradenda mensibus aliquot veræ de Deo & redemptore nostro Iesu Christo doctrine elementa venerim: non iudico vsitata in talibus proëmijs excusatione opus esse, qua suspicionem ambitionis, arrogantiae, polypragmosynes & similia, quæ nouis hospitibus sæpè tribui solent, cupiditatum à me remoueam.

Sed cum sine DEO nihil rectè à nobis & feliciter agi & dici possit: & me non solum imbecillitatis & infantiae meæ consideratio, verùm etiam quòd omnium oculi in peregrinos &

A 2

hospites

ORATIO DE STUDIO

hospites magis intenti sunt, & multò
de ijs iudicant morosiùs & fastidio-
siùs, quàm de familiaribus & notis;
tacita multorum iudicia & pericula
non immeritò commoueant: initio Fi-
lium Dei Dominum & Seruatorem
nostrum Iesum Christum, Doctorem
& custodem Ecclesie suæ ac omnium
piorum, toto pectore precor, vt nunc di-
centis mentem & linguam, omniaq; de-
inceps consilia & actiones meas guber-
net, & totam hanc Academiam, &
omnes in ea docentes & discentes, ipse
doceat & regat, & præceptorum ac
discipulorum, & in his mea quoq; stu-
dia, consilia & labores vniuersos, ad
Dei gloriam & ecclesie ac Reipublice
salutem dirigat. Hoc summo Docto-
re & Duce peritissimo in tanta men-
tium humanarum caligine & fatuitate
fretus, de Studio Theologie, exerci-
tjjs

THEOLOGIAE.

tijſ veræ pietatis & obedientiæ, potius quàm rixis contentionum & certaminibus non necessarijs colendo, commonefactionem iunioribus recitabo, & de mea voluntate erga Eccleſiam, & ſententia in his religionum controuerſijs pauca adiungam.

Est enim vera Theologia & Religio Chriſtiana, non in cognitione, & ſcientia doctriinæ ſola, & multarum artium peritia, ſed in vero timore Dei & fide Chriſti, ac obedientia erga Deum, & officijs beneficentiæ erga proximum præcipuè ſita. Vt verum Deum conditorem noſtrum & Seruato-rem Ieſum Chriſtum rectè agnitum iuxta ipſius verbum colamus, in pœnitentia perpetua, & ſtudio vitæ ad Dei voluntatem emendandæ, ſeriò expaueſcentes metu iræ Dei aduerſus noſtra peccata, & certò credentes propter

A 3

Chriſt

ORATIO DE STUDIO

Christum mediatorem ea nobis remissa,
& Deum propitium ac placatum esse, et
prælucente hac fide (usu sacramento-
rum excitata & conformata) **DEVM**
inuocare, & grata mente ac voce, pijs
laudibus & totius vitæ obedientia cele-
brare: Magistratibus & superioribus
nostris vera cordis reuerentia obedire:
Cæteros etiam homines, omnibus bene-
uolentiæ, iusticiæ, veritatis, mansuetu-
dinis, misericordiæ officijs, alienum ab
odio, liuore, superbia, iniusticia, auari-
tia, inuidia &c. benignè iuuare: & in
omnibus vitæ periculis, ærumnis &
morte ipsa, in **DEO** nobis propter Chri-
stum propitio adquiescere, & vitam
cum Deo beatam & æternam certò
expectare.

Hoc veræ Theologiæ et Pietatis Chri-
stianæ studiū eò maiori cura & diligen-
tia, nos in scholis & templis docentes
urgere

THEOLOGIAE.

urgere & alijs commendare necesse est; quò propius ruere omne studium religionis et Pietatis sinceræ, & Theologiam rursus in sophisticam, seu potius furores curiosarum disputationum degenerare, atq; ita non sublatam, sed mutatam superioris ætatis sophisticam videmus.

Cum igitur de re magna, & non solum ad studia adolescentum rectè instituenda, verùm etiam ad salutem Ecclesiæ, & nostram præsentem & æternam pertinentem dicturus sim: reuerenter à vobis Magnifici & Clarissimi Viri, quos benevolentia erga hanc Academiam & sacras literas vestraë testificandæ causa huc accessisse cerno, & totam hanc ornatissimam coronam oro, vt orationem tenuem quidem & squalidam, sed adolescentum studijs & pietati alendæ seruientem, benignè candidèq; audiatis.

A 4

Funda.

ORATIO DE STUDIO

Fundamentum totius Fidei & Religionis Christianae, & Regula ac Norma, ad quam tota religio, & omnes de DEI essentia & voluntate cogitationes nostrae, & vniuersus DEI cultus ac obedientia erga DEVM dirigi & gubernari debet: est Vnica vera & immota de DEO & redemptore nostro Iesu Christo DOCTRINA, verbo DEI patefacta, & libris Prophetarum & Apostolorum certis comprehensa, per quam à nobis lectam, auditam, cogitatam, verè efficax est DEVS, & lucem veræ agnitionis sui, remissionem peccatorum, firmam consolationem in omnibus ærumnis, & iusticiam ac salutem æternam credentibus impertit. Huius doctrinæ noticia, tanquam Regula & gubernatrix veræ Fidei, inuocationis, timoris DEI, & omnium officiorum dilectionis Dei & proximi,

THEOLOGIAE.

proximi, in quibus vera Religio potissimum cernitur, omnibus pijs necessaria est. Vt enim in cæteris artibus, quæ actiones aut fabricationes gubernant, præcepta primùm compendio discenda sunt, quorum exercitatio & vsus totum reliquum vitæ spaciū occupet: ita in hac veræ Pietatis arte, artium omnium regina, primùm doctrinam Legis & Euangely, verbo DEI patefactam, cognosci necesse est, per quã solam & non aliter DEVS fidem in mentibus discentium accendere, & consilia actionesq; vitæ omnes gubernare, & omnia Christi beneficia, æternamq; salutem tribuere decreuit. Ideo ministerium docendi verbum Dei in templis & scholis institutum est. Ideo toties Deus præcipit, vt hæc ipsa Prophetarum & Apostolorum scripta assidue & attentè homines legant, audiant,

A 5 discant

ORATIO DE STUDIO

discant & meditentur. Etsi enim, ut dixi, Religio seu Pietas Christiana, in vero DEI cultu, seu timore & amore Dei, & pijs adfectibus & sanctis vitæ actionibus potissimum sita est: tamen quia ignoti nulla cupido, accendi pios cordis motus & gubernari noticia Doctrinae, ceu regulæ motuum & actionum certæ & immotæ oportet. Ita ut necessario nexu inter se Sapiencia & Religio cohæreant. Nam, ut Lactantij verbis utar, & in colendo sapere debemus, hoc est, scire quid nobis & quomodo colendum sit: et in sapiendo colere, id est, re & actu quæ scierimus, explere.

Sacræ profectò literæ, non alium sapientem, quàm pium, seu rectè Deum agnoscentem & colentem: nec alium insipientem ac stultum, quàm Impium & Deo non obedientem appellant; & Sapienciam non nudam DEI noticiam
seu

THEOLOGIAE.

seu scientiam doctrinae solam, sed veram Dei agnitionem, cum vera pietate seu vero timore DEI & fide ac obedientia erga Deum coniunctam, definiunt.

Prima igitur & summa omnium hominum, ac in primis eorum, qui alijs in templo aut schola docendis destinati sunt, cura & sollicitudo esse debet, ut Doctrinam verae sapientiae, de vera agnitione & Inuocatione Dei conditoris & Seruatoris nostri Iesu Christi, & de omnium virtutum DEO placentium officijs, in libro Verbi diuini traditam, studiosè discant, & ad vsum in quotidianis exercitijs penitentiae, fidei, inuocationis, obedientiae, dolorum & consolationum, in omni vita transferant.

Cum autem maxima pars generis humani, alijs vitae officijs occupata, vel literarum expertis, libros Verbi diuini euoluere, &

ORATIO DE STUDIO

re, & hunc fontem Sapientiae ipsa hau-
rire nequeat: Summam breuem, & ve-
lut nucleū sacrae scripturae vniuersae ve-
teres, excerptis breuibus sententijs De-
calogi, Symboli, precationis, & institu-
tionis Sacramentorum, in Catechismo
complexi sunt, vt prima aetas, & impe-
ritum ac rude vulgus, hanc velut Epi-
tomen Bibliorum, & Regulam fidei,
inuocationis, & faciendorum ac fugi-
endorum normam breuissimam, in om-
ni vita propositam haberet.

Et hoc consilio Symbola, in veteri-
bus Synodis condita sunt, vt summa
doctrinae Christianae, breuissimè com-
prehensa extaret, in qua locos ad ve-
ram Dei agnitionem & Pietatem ne-
cessarios, tanquam simul in vna tabu-
la subiectos, conspicere & complecti ho-
mines possent.

Nostra

THEOLOGIAE.

Nostra etiam aetate, excitatis diuinitus pijs & salutaribus Euangelij Doctoribus & instauratoribus D. Martino Luthero & Philippo Melan- thone, quorum viua voce & sanctiss. scriptis Deus me ad verbi sui cognitio- nem deduxit: Loci Doctrinae Chri- stianae praecipui, qui ad pietatem alen- dam maximè conducunt, & in vita & exercitijs piorum vsum habent, & in ecclesia populo inculcari assidue debent: singulari consilio & religione, in con- fessione Augustana breuiter recitati, & in Locis Theologicis Philippi vbe- riùs declarati sunt. Quare mediocri fi- de & diligentia, his triginta annis stu- dii, hanc summam verae de Deo do- ctrinae, quam Vitebergae Praeceptorum meorum theodidaeton Lutheri & Phi- lippi viua voce & scriptis explicatam didici, retinere, & propagare. Idq; nunc eò stu-

ORATIO DE STUDIO

eò studiosius facio, & faciam Deo
iuuante, quia non solum veram esse
doctrinam sentio: Verùm etiam hanc
formam et methodon, seu corpus doctri-
næ in Lutheri & Philippi scriptis con-
stitutum, retineri vtilissimum iudico.
Cumq; in omnium veterum patrum
scriptis multa desideremus, & nœuos
multò fœdiores, & si pertinaciter de-
fenderentur, planè intolerabiles, pietati
ipforum et meritis erga Ecclesiam con-
donemus: cur non de Præceptorum quo-
que scriptis candidè iudicare potius,
quàm ambigua in deteriorem partem
torquere velimus. ac profectò evolu-
ta iam ex labyrinthis opinionum &
controuersiarum cum Pontificijs &
alijs sectis, & mediocriter constituta
veræ & necessariæ Doctrinæ forma:
modus aliquis esse disputationum &
certaminum inter eiusdem confessio-
nis

THEOLOGIAE.

nis socios debebat; & ad lectionem ac meditationem Textus sacrarum literarum assiduam, & piam precationem & honesta exercitia obedientiae & sanctae disciplinae potius iuniores assuefaciendi erant, quàm ad cauillationes curiosarum disputationum, quae in usu & exercitijs piorum, in quotidiana inuocatione, poenitentia, timore, fide & consolationibus, non modò usum nullum habent, sed etiam perniciosas dubitationibus perturbant & intricant conscientias, & in Academicam aut Epicuream prophanitatem tandem deducunt.

Sapientissimi & summi Ecclesiae Doctores haud dubiè fuerunt *FILIVS DEI*, & post hunc *MOSÉS*, praceptor & Dux totius chori prophetici & fons seu Oceanus, vt eum Theodoretus appellat, vniuersae Theologiae, ex quo fluuij omnes
& ma

ORATIO DE STUDIO

Et maria omnia concionum Propheti-
carum, Christi & Apostolorum ema-
narunt. At hic, Decalogi enarratio-
nem in Deuteronomio instituens, ma-
ximam orationis partem, non tam in
explicandis magna quæstionum subtili-
tate & acumine præceptis, & dogma-
tibus tractandis, quàm adhortationi-
bus ad obedientiam Deo, iuxta ipsius
verbum præstandam consumit, & pro-
missionibus præmiorum præsentium et
æternorum obedientibus reddendorum,
& comminationibus horribilium pœna-
rum & calamitatum, quibus inobedi-
entiam et neglectionem suæ legis Deus
punit, & commemoratione beneficio-
rum, quæ populo illi Deus amplissima
tribuit, & Exemplis pœnarum, qui-
bus impietatem & contumaciam illius
vindicauit.

Dogmata verò & præceptorum
expli-

THEOLOGIAE.

explicationes breuibus sententijs, amplissimæ sapientiæ & doctrinæ copia stipatis, velut aphorismis complectitur, vt facilius compræbendi & infigi mentibus, & semel percepta memoria repeti & retineri, & ad vsum in omni vita possint transferri.

Tali igitur docendi ratione nos quoque in templis & scholis vti, nec tam ἐγιστα κούς καὶ ἀντιλογικούς, quàm pios & Deum verè timentes & colentes reddere auditores nostros conemur, nec tantùm doctrina & scientia communicanda, sed exemplo pietatis, patientiæ, mansuetudinis, & cæterarum virtutum, auditores doctos ad regnum cælorum, pios, humiles, modestos, veraces, castos, beneficos, huius vitæ contemptores; & ardenti desiderio vitæ & consuetudinis cum Deo æternæ flagrantes, efficere annitamur. Sicut summus Doctor

B. &

ORATIO DE STUDIO

¶ Præceptor noster Iesus Christus à se discere iubet, non tantum quòd Humanam naturam sibi vnione personali copularit, ¶ gratuita bonitate ¶ misericordia nobis delictorum veniam ¶ salutem donet, ¶ verum corpus ac sanguinem suum in sacra cœna distribuatur, Verum etiam quòd mitis sit, ¶ humilis corde, ¶ vero ac ardenti amore nos complectatur, vt vicissim nostram erga alios homines dilectionem, omnibus beneficentiae officijs declaremus. Mandatum nouum, inquit, do vobis, vt vos mutuò diligatis, sicut ego vos dilexi, vt ¶ vos alij alios diligatis. In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si caritate mutua vos complectemini. Vbi verò non lucet in vita ¶ moribus pietas, Dilectio, pax, patientia, benignitas, bonitas, mansuetudo, temperantia: ibi nec vera Dei agnitio, nec fides, nec iusticia

¶

THEOLOGIAE.

Et salus aeterna in corde accensa est,
ut clarè inquit Iohannes: Qui non dili-
git, non cognouit Deum, quia Deus
dilectio est, et qui in dilectione manet,
in Deo manet, et Deus in eo. Qui ve-
rò non diligit, manet in morte, et Pau-
lus 1. Cor. 13. proluxa concione hoc ipsum
demonstrat, veram pietatem et Religi-
onem Christianam, non in noticia doctri-
nae sola, vel cognitione linguarum, et
donis ingenij, doctrinae, eloquentiae, mi-
raculorum, multò minus in rixis dispu-
tationum, et, quae coniuncta ferè sunt,
virulentiae, odiorum et maledictorum
plaustris: sed in dilectione Dei et
proximi, virtutum omnium maxima,
et veram Dei noticiam simul comple-
tente, sitam esse. Et scientiam seu co-
gnitionem doctrinae solam, sine obedientia
voluntatis et pijs motibus cordis, non esse
Theologiam seu religionem veram, nec vir-

ORATIO DE STUDIO

tutem Deo placentem: non Paulus so-
lùm, scientiam iuflare, charitatem verò
ædificare dicens: verumetiam extra
Ecclesiam. Plato in epitaphio testatur:
πᾶσα ἐπισήμη χωρίζουσα δίκαιοσύνης ἢ τῆς
ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία οὐ σοφία φαίνεται.
Item: ὅσῳ ἄμ' ὀξύτερον βλέπῃ ψυχάρσιον, τοσού-
τω πλείω κακὰ ἐργαζόμενον.

Nec verò improbo aut damno li-
beralium artium, literarum & lingua-
rum cognitionem, sed hanc studiosè pa-
randam, & non solùm ornamento esse
Ecclesiæ Christi, verùm etiam expli-
candæ & illustrandæ Prophetarum &
Apostolorum doctrinæ utiliter seruire
& necessariam esse adfirmo. At idem
ego contendo, longè præstantiores vir-
tutes esse, veram pietatem, experienti-
am certaminum spiritualium, patienti-
am in cruce, fiduciam in Deo adquies-
centem, prudentiam & vsum vitæ,
Dilectionem Dei & proximi, nec satis
esse

THEOLOGIAE.

esse Theologi mentem præclaro acuminè
ne & eruditione politam, & plectrum
linguæ volubile esse, nisi voluntatis &
cordis obedientia erga Deum, vera
pœnitentia, fides, consolatio, patientia,
Dilectio proximi non simulata acce-
dat.

Ita non repræhendo **DISPUTA-
TIONES**, seu collationes sententia-
rum & argumentorū, quas de rebus bo-
nis & vitæ utilibus, vel viri docti, ve-
ritati & sibi mutuò amici inter sese:
vel adolescentes studiosi cum Præce-
ptoribus aut æqualibus suis in Scholis
amanter et placidè, inquirendæ & illu-
strandæ veritatis causa instituunt: sed
plurimum acuendis ingenijs, & formân-
dis iudicijs, & alendæ extemporali fa-
cundia, imò etiam humanitati morum,
& comitati in alijs alloquendis, & re-
spondendo in omni vita prodesse iudi-

B ij co.

ORATIO DE STUDIO

co, praesertim si ad illam Thucididis
ἐπιεικῆα τῶ δίδασκῆ ἀλλήλων καὶ ἡσυχίαν
congruant, & amicae, candidae, quietae,
modestae, & omnis malevolentiae, odij
& contumeliarum expertes sint, &
tranquillis animis & placido amicoꝝ
velut familiari colloquio, non rixis ac
contentionibus virulentis disceptantes
veritatem vestigent vel illustrent, &
se mutuò ac auditores de rebus vtilibus
doceant, & postquam eruta vel illustra-
ta est veritas, victi libenter cedant, &
Deo propter ostensam veritatē gratias
agant, eamq; ad vsum in alijs docendis et
inuandis in communi vita transferant.

At quàm dissimiles huic Ideae sunt
pleraeq; horum temporum concertatio-
nes violentae, & scripta de praecipuis
doctrinae Christianae articulis cōtrouer-
sa, seu potius praelia doctentium Cadmea,
quae Gregorij Nazianzeni verbis po-

Eius

THEOLOGIAE.

tius quàm meis deplorare libet. Bellum,
inquit, intestinū gerunt vnius corporis
membra. Pietatem præ se ferunt omnes
hoc vno, quòd alios impietatis arguunt.
Et hic optimus est inter eos, non qui in
timore Dei quietus, & propria agens,
nec verbum profert ociosum, sed qui
plurima in proximum maledicta conge-
rit, vel palam, vel ænigmaticōs, & sub
lingua voluit laborem & dolorem, aut
venenum aspidum, vt propriè loquar.
Interim obseruant alij aliorum errata,
non vt deplorent, sed vt exprobrent;
non vt sanent, sed vt contumeliosè ob-
ijciant; & aliorum vulneribus exag-
geratis scelera tegant & defendant sua
& quæ hodiè laudant, cras vicio dant,
& quæ ab alijs vituperantur, ipsi ad-
mirantur, ac vt in nocturno prælio, &
obscuris Lunæ radijs, hostium aut amico-
rum facies non dignoscimus, sed in nos

ORATIO DE STUDIO

mutuò irruimus, & à nobis mutuò consumimur.

Laudo autem eos qui pro veritate certamina suscipiunt, & horum me unum esse profiteor. Melius est enim laudabile bellum, quàm pax à Deo separans. Nunc verò de rebus non intellectis, aut inutilibus, quidam inrudite et audacter rixantur, & quos possunt, ad societatem attrahunt: postea omnibus suis rixis fidem prætexunt, & hoc venerabile nomen, priuatis contentionibus & odijs distorquent. Hinc odio habemur in gentibus, & quod grauius est, dicere non possumus, quòd iniuste vituperamur, & à moderatioribus inter nostros. Fabricant autem super humeris nostris peccatores, & quæ singuli in nos mutuò intendimus, & nobis mutuò obijcimus, contra omnes usurpant, & facti sumus theatrum nouum,
non

THEOLOGIAE.

non Angelis & hominibus, sed omnibus malis, & omni tempore, & loco, in foro in conuiujs. &c.

Hanc tristem & lugubrem Ecclesiarum nostrarum speciem, intestinae dissensiones & disputationes, seu praelia docentium de articulis fidei nostrae Cadmea, nobis pepererunt, quae non solum de doctrinae veritate & certitudine dubitationes in multorum infirmorum & prophanorum mentibus perniciosas excitant & permiscet: verum etiam omne studium Christianae pietatis, mansuetudinis & caritatis extinxerunt.

Sed tales fore huius postremae aetatis miseras, ipse filius Dei tot seculis antè sua voce praedixit, & simul testatus est, non planè extinctum iri inter haec dissidia Ecclesiae & veritatis lucē,

B 5 sed

ORATIO DE STUDIO

sed mansuram esse Ecclesiam, & verè
de Deo doctrinæ lumen fulsurum esse,
vsq; ad lætissimum illum diem, quo fi-
lius Dei rediens ad iudicium, omnia
scandala & Zizania ex agro Ecclesie
exterminata tollet, & æternam pacem
& concordiam, in clara & beata vitæ
cælestis luce, à tristi onere dubitatio-
num & omnibus rixis, odijs & miserijs
libera, Ecclesie suæ restituet. Interea
hac consolatione nos sustentemus.

Et in his ipsis ærumnis nos Deo
curæ esse, & ab eo propter filium, quem
diligimus, diligi, protegi, seruari, &
labores dicendi nostros, quantumuis
spretis & irriti mundo videantur, Chri-
sto gratos, & Ecclesie non planè infru-
giferos fore statuamus, nec de priuatis
affectibus, prætextu religionis, vt sæpè
solet ἢ πῖσις τῷ ἰδίῳ ἐκείῳ φιλονεικῶν
ἔπλορ τυγχάνει, dimicemus.

Sed

THEOLOGIAE.

Sed grauius & sedatis animis, vere & ad aeternam salutem necessariae Doctrinae de Deo & redemptore nostro Iesu Christo puritatem nostro loco & vocatione tueamur, & confessione edita, patienter toleremus odia, calumnias, obtreccionem, contumelias & alia, quae professionem pietatis comitantur, pericula, nec impatienter, odijs, ambitione aut vindictae cupiditate incitati, Ecclesiam turbemus, sed praesentia & auxilio Dei, tandem proferentis veritatem, & defendentis iniuste deformatos freti, tranquillis & placidis animis conuitia & calumnias aduersariorum & sociorum, vt Boreae flatus horridiores, aut coniugum ineptias, propter Deum & publicam tranquillitatem feramus & dissimulemus, & magno animo breuia sustineamus incommoda. Dum enim respicimus (vt Senecae verbis utar)

ORATIO DE STUDIO

Ut ar) & vertimus nos, immortalitas
aderit.

Hoc animo & voluntate in præsen-
tibus Ecclesiarum dissidijs totos iam vi-
ginti annos, quibus post Colloquium
Wormatiense illa recrudescentia ma-
ximè viguerunt, constitutus fui. Veri-
tatem & pacem dilexi. Interrogatus,
quæ vera esse iudicavi, modestè & sine
vlla acerbitate professus sum. Incerta
& expresso verbo Dei non definita, in
æternæ vitæ Academiam reieci, exem-
plo Augustini, qui toties ignorantiam
vel dubitationem suam de obscuris &
verbo Dei non explicatis quæstionibus
verecundè confiteri mauult, quàm te-
merè & pertinaciter de incertis & du-
bijs asseuerando, litigare.

Semper salua veritate per συγκα-
τάβασις coire & conciliari partes dissi-
dentes potius, quàm distrabi & diuelli
atrociùs

THEOLOGIAE.

atrocius optavi. Etsi autem utringue plagas accepi & accipio, quod pacificis & concordiam amantibus euenire Nazianzenus docet: τὸ εἰρηνικὸν καὶ μέσορ' ἀμφοτέρωθεν πάχῃ κακῶς, ἢ καταφρονόμενον, ἢ ἢ πολέμῳ: ὡς καὶ ἡμεῖς ὄντες σήμερον, θαυμασὸν οὐδὲρ, εἰ ὑπὸ ἀμφοτέρωρ' ἐκτριβείμεν: tamen mei me consilij nondum pœnitet. Testimonia enim præsentiæ Dei, tandem proferentis veritatem, & amantis, ac rursus ornantis eos, qui publicæ utilitati & quieti iniurias condonarunt, & Deo vindictam reliquerunt, manifesta expertus sum.

Ideò deinceps etiam πρὸς ἡσυχίαν αἰλόπολιρ καθαρᾶ γνώμα τετραμυλίῳ, Veras, rectas, & moderatas sententias, de singulis articulis controuersis, modestè, constanter & apertè profitebor, & patienter feram, quæ Deus ferenda imponet, ἐμμελῆς τῶν πραγμάτων, vt de Seno

uero

ORATIO DE STUDIO

uero olim dictum est : ἀμελής δὲ τῷ πρὶ
ἐμῷ λογοποιεῖ μύωρ.

Ac ut seriem articulorum in com-
muni Ecclesiarum nostrarum confessi-
one Augustana præscriptam sequar : de
vniTate ESSENTIAE & TRIBVS
PERSONIS Diuinitatis ὁμοσίοις,
simpliciter in testimonijs Verbi diuini,
& inde extractis Symbolis, Apostolico,
Niceno, & Athanasij acquiescendum
esse : & vnum solum verum Deum, sa-
pientem, bonum, veracem, Iustum, omni-
potentem, misericordem, fontem omni-
um bonorum, æternum Patrem, Filium
& Spiritum sanctum ; non ociosis spe-
culationibus tantum & argutijs ac di-
sputationibus, audaci curiositate essen-
tiam ipsius, quæ adoranda potius, quàm
scrupulosius disquirenda est, excutien-
tibus : sed in operum ipsius admirando-
rum contemplatione, & verbo per Chri-
stum

THEOLOGIAE.

stum tradito, ita cognoscendum esse sentio; ut verus Timor iusti iudicij & iræ Dei aduersus nostra peccata; & vera Fides seu fiducia misericordiæ & Bonitatis diuinæ propter filium mediatoris promissæ, & quotidianis ac infinitis erga nos beneficijs cumulatè effusæ; ardens Inuocatio, ad verum Deum Ecclesiæ patefactum in nomine Christi directa, & præsentis & æternæ vitæ bona ab ipso petens ac expectans, & ipsi soli cum laude, & gratiarum actione accepta referens; deniq; totius vitæ Obedientia, & conformitas cum Dei archetypi sapientia, bonitate, Iusticia, veritate & sanctitate, in nostris animis accendatur, & in omni vita, in omnibus negotijs & periculis exerceatur & confirmetur.

Hæc vera & practica Dei notitia, ad veræ pietatis adfectus & motus

tus

ORATIO DE STUDIO

tus sanctos ac Deo conformes, in animis accendendos utilis & fructuosa, præcipuè à nobis expetatur & colatur, nam inanes illæ argutiæ & quæstiones de Dei essentia & tribus personis inextricabiles, sine modo in scholis agitate: prophanitatem mentium potius, quàm veram pietatem alunt, & tamen non explicant arcanam naturam Dei.

PECCATVM ORIGINIS, quo natura nostra extremè deprauata, peruersa & corrupta, & reà iræ Dei ac æternæ damnationis facta est, gemitibus veris & ardentibus deplorare potius & emendare deberemus, ne regnaret in mortali corpore nostro, & pestiferos odiorum, contentionum & tristitum scandalorum fructus pareret; quàm de substantia peccati, quod à natura corrupta ne cogitatione quidem distingu

gui

THEOLOGIAE.

qui possit, disputare: & virulentiss. odijs ac scandalis peccata peccatis cumulare.

Manifesta autem insania est, contendere peccatum Originis substantiam, seu naturam subsistentem, non Accidens naturæ vitium ac depravationem esse: & discrimen Peccati ac naturæ corruptæ negare. Cum Deus etiam post lapsum conditor sit naturæ, non peccati. Deus odit, abijcit & delet peccatum, non naturam à se creatam, cuius ad se conuersæ propter filium miseretur, eamq; vita & salute æterna donat. Filius Dei & Mariæ virginis precioso sanguine nostram naturam, non peccatum redemit. Nostra natura in Baptismo regeneratur & renouatur, non peccatum quod expurgatur. Spiritus sanctus nostram

C naturam

ORATIO DE STUDIO

naturam sanctificat, non peccatum, ut
Deo in vera Iusticia & Sanctitate
seruiamus. Nostra natura abolito
peccato ἀναμάσσει & resurget, non
peccatum. Denique nostra natura mun-
data ab omni peccato, non peccatum,
ingredietur regnum Dei & salua-
bitur.

DE PERSONA CHRISTI
& mirando duarum naturarum fœ-
dere semper ita sensi & sentio, perpe-
tuum discrimen diuinæ & æternæ
naturæ conditricis, & humanæ natu-
ræ creatæ, sed per vnionem persona-
lem, & exaltationem ad dexteram
Dei, super omnes angelos & homines
euectæ, nec tamen cum diuina natu-
ra exæquata, multò minus à diuina
absorptæ & deletæ, seruandum esse.
Nec sciens & volens, Eutychianis,
vel

THEOLOGIAE.

vel aliarum sectarum delirijs, veræ
Ecclesiæ iudicio damnatis, patrocina-
ri vnquam velim. Vnionem perso-
nalem nunquam definiui aliter, quàm
mirandam & ineffabilem copulatio-
nem duarum naturarum in filij Dei
hypothesi factam, ita vt secunda
persona diuinitatis, λόγος θεός, &
natura humana in vtero Mariæ vir-
ginis assumpta, vnā tantū perso-
nam, seu vnum indiuiduum Chri-
stum constituent, propter quam vnio-
nem, & communionem naturarum
arctissimam, proprietates etiam om-
nes & actiones, quæ alteri tantū
naturæ originaliter congruunt, toti
personæ Christi in concreto verè &
re ipsa communicentur, neq; enim alia
quàm realis cōmunicatio Idiomatum,
quæ quidem vera sit, in persona Chri-
sti esse potest.

C 2 Mea

ORATIO DE STUDIO

Mediatoris verò, Sacerdotis, Redemptoris & Regis appellationes & officia, etsi humane tantum naturæ Scholastici quidam tribuunt: tamen cum redemptionis nostræ causa copulatio duarum naturarum facta sit: iuxta utramq; naturam Christo ea congruere, & in sacris literis verè & realiter tribui, non dubium est.

Maiestatem & Gloriam Humane Christi naturæ, in unitatem Personæ à Filio Dei assumptæ, & ad Dextram Dei patris omnipotentis, supra omne nomen, quod nominari potest, exaltatæ; in æterna Academia penitus perspiciemus. Interea quæ expressis sacræ scripturæ testimonijs Coloss. 2. Ephes. 1. 4. Ioh. 5. 6. 3. 13. 17. Matth. 11. 28. homini Christo tribuuntur, non tantum Dona creata & orna

THEOLOGIAE.

ornamenta finita, verum etiam vitam viuificantem seu liberantem à peccato & morte, omniscientiam, seu omnes thesauros Sapientiae & scientiae, omnipotentiam, potestatem iudicandi viuos & mortuos &c. non verbaliter tantum & titulotenus, sed verè ac realiter ipsi data & communicata esse, ita vt verè ea IN SE tametsi non EX SE habeat, firmissimè credamus, non quòd assumptæ naturæ essentiales proprietates factæ sint, vel quod secundum se aut subiectiuè humanitas, seorsim à λόγῳ, illa possideat (vt si vinum aut oleum ex vno vase in aliud transfusum sit) sed ex vnita personaliter Diuinitate τὸ λόγῳ, quæ EX se sola viuificatrix, omnipotens & omniscia est, verum IN assumpta Humanitate tota lucet, &

C ij in ea

ORATIO DE STUDIO

in ea ac per eam liberè efficax est, ut
Ferrum ignitum, calorem & vim lu-
cendi & verendi, verè & re ipsa com-
municatum in se, sed non ex se possi-
det, nam hac similitudine totam anti-
quitatem orthodoxam vnanimiter
vsam esse scimus.

Quod autem de Vbiquitate quæ-
ritur; Dominum & redemptorem no-
strum Iesum Christum, Emanuelem,
non modò diuinitate sua, verùm eti-
am secundum humanam naturam ve-
rè præsentem adesse, vbiq; se ver-
bo suo præsentem fore promisit, non
dubitemus, nec debitam Christo Ve-
ritatis & omnipotentiae gloriam au-
feramus. Vbiquitatem verò illam
prodigiosam, qua Corpus Christi eo-
dem modo, quo diuinitas immensa &
infinita, ratione suæ essentiae, aut pro-
prietatis

THEOLOGIAE.

prietatis essentialiter, communicatæ,
vbiq; diffusum, & diuinitati prorsus
æquatam esse fingitur, toto pectore
damnemus & execremur. Verum cu-
riosioribus disputationibus, in futuræ
vitæ scholam reiectis, multò rectius et
melius est, immensam erga nos bonita-
tem & misericordiam Dei, qui filium
dedit, vt seruos redimeret, & præ de-
siderio & amore hominis, non solum
sua, verum etiam seipsum impendit,
reuerenter & attentè considerare: &
beneficia Filij Dei Emanuelis & re-
demtoris nostri grato corde agnosce-
re, et fide amplecti, & in doloribus ac
ærumnis omnibus cogitatione huius
mirandi & arctissimi fæderis, quod
cum natura nostra Filius Dei fecit, se
erigere & consolari, & tanto bene-
ficio & honore letari, & exultare, &

C 4 Deum

ORATIO DE STUDIO

Deum pijs laudibus & totius vitæ
obedientia celebrare.

A IUSTIFICATIONIS nostræ
coram Deo causa efficiente, ma-
teriali & formali, nostra bona opera
penitens excludenda esse: & tamen,
particulis exclusiuis, in conuersione,
nec dolorem de peccato, nec petitionem
venie, nec bonum propositum, & cæ-
teras virtutes sine interuallo tempo-
ris sequentes prohiberi aut excipi,
haud dubiè verum est. Etsi enim non
vtamur his verbis, Bona opera sunt
necessaria ad Salutem, quia hac ad-
ditione AD SALVTEM intelligi-
tur Meritum: tamen hanc propositio-
nem adfirmo veram esse, & contra
Antinomos constanter retinendam ef-
se; Nouæ obedientie Inchoationem
necessariam esse, quia hic ordo diuinus
&

THEOLOGIAE.

Et immutabilis est, ut creatura rationalis Deo obediat. Et loquor de Obedientia sequente Conuersionem seu regenerationem, Vbi et propter causae et effectus consensum, necessaria est inchoatio obedientiae iuxta dictum: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei, id est, tales motus accendit Spiritus sanctus, qualis est ipse, et datur ut renouetur in nobis Imago Dei. Consulto enim in hoc articulo verba praecceptoris Philippi retineo, quibus sententiam suam bienio ante mortem ipse explicauit, sicut

DE EVANGELII definitione etiam, in ipsius Philippi, paucis ante mortem diebus publicè edita declaratione, adquiesco. Complector in definitione, Euangelij nomine, Doctri-

C 5 nam

ORATIO DE STUDIO

nam pœnitentiæ & æternæ promissionis, imò & capita in Symbolis collecta, sicut Apostoli appellatione Euangelij vtuntur de tota ministerij sui doctrina. Quia si legis appellationem insererem, proluxa distinctio partium legis addenda esset. Alioquin cum in specie & propriè Euangelium (prout à lege distinguitur) promissionem Gratiæ & remissionis peccatorum propter Christum donandæ definit: ita hæc duo genera doctrinæ discernit: Duae in vniuersum scripturæ partes sunt: Lex & Euangelion. Lex peccatum ostendit, Euangelion Gratiam. Lex morbum ostendit, Euangelion remedium. Lex mortis ministra est, Euangelion vitæ & pacis. Lex virtus peccati est, Euangelion virtus salutis omni credenti. &c.

COENAM

THEOLOGIAE.

COENAM DOMINI instituit
Christus, ut hoc ritu ἀνάμνησιν αὐτοῦ.
Recordationem sui erga nos Amoris
immensi, & beneficiorum, quæ as-
sumptione nostræ naturæ, & corpore
suo pro nobis in mortem dato, &
sanguine suo in remissionem pecca-
torum nostrorum pro nobis effuso,
Ecclesie promeruit, memoriam fi-
delem in nobis excitet, alat & auge-
at, & promissionem Gratiæ seu Re-
missionis peccatorum singulis creden-
tibus applicet; & fidem confirmet;
& nos sibi tanquam membra in vnum
cum ipso corpus coalescentia copulet,
ac, ut palmites viti veræ insertos,
seruet, viuificet ac fœcundet: deniq;
ad Gratiarum actionem pro om-
nibus beneficijs Christi pro nobis
mortui & resuscitati ardentem,
MATEO 3
& om

ORATIO DE STUDIO

Et omnia obedientiae Et Dilectionis officia, Deo Et proximo præstanda exuscitet.

De hoc salutari usu Et fructu cœnæ Dominicæ, utinam in templis Et scholis diligenter Et præcipuè auditores doceantur, Et hæc doctrina ad veram pietatem utilis potius inculcetur populo, quàm curiosa Et prophanæ horum temporum disputationes multæ agitentur.

DIXIT DOMINVS Et Seruator noster Iesus Christus, Sapiens, Verax Et omnipotens: Hoc quod in cœna sua in his terris sumentes Panem Et Calicem benedictum manducamus Et bibimus, esse verum Et substantiale corpus suum pro nobis in mortem datum, Et verum ac natura-
lem

THEOLOGIAE.

lem sanguinem suum pro nostris peccatis effusum. Huic Domino dicenti, firma & indubitata fide pareamus, & in confessionibus de hoc articulo editis à patribus & praeceptoribus nostris, in Augustana confessione & Apologia, & Concordia Formula anno 1536. VVitebergae constituta, & Smalcaldicis articulis sequenti anno in frequenti Theologorum Synodo subscriptis, adquiescamus, & pontificia transubstantiatione, inclusione, circumgestatione, adoratione extra usum institutum: & alijs abusibus, Idolis & parricidijs constanter reiectis & damnatis: alterum etiam scopulum prudenter vitemus, ne tanto interuallo, quanto altissimi cali à terris distant, substantiam corporis & sanguinis Christi à pane & calice

ORATIO DE STUDIO

lice cœnæ Domini in his terris abesse
contendamus, nec in Fide aut digni-
tate sumentis, sed sola Christi ordi-
natione & verbo institutionis, seu
DIXIT DOMINVS, causam &
fundamentum præsentiae corporis &
sanguinis Christi in Eucharistia col-
locemus, & cum Iustino προσφέρωμεν
τοῖς ζητημένοις ἐτοιμῶν λύσιν, τῶν πῖσιν,
καὶ οὐκ αἰδέώμεθα, τῶν ἄγνοιαν τῶν τρόπων
τῆς πρῆξις ὁμολογῶντες, τῶν αὐτίου δὲ
μαλῶν καυχώμεθα τοῖς ἀποζηῶντες πῖσιν
υῶντες, καὶ μῦσαι τῶν ὑπάρχοντες, ὡς
καὶ λόγῳ καὶ νῶν ἀτονῶν.

DE LIBERO ARBITRIO,
constat accuratiùs considerata verbi
diuini testimonia, omnem benè agen-
di vim, in ijs quæ sunt Spiritus Dei,
adimere menti & voluntati nondum
a Deo conuersæ & regenerari captæ,
& voluntatem hominis, non causam
efficiens

THEOLOGIAE.

efficientem primæ conuersionis, sed
subiectum conuertendum esse. Nec
vllam vim & efficaciam assentiendi
Euangelio, & benè coràm Deo agen-
di, totalem vel partialem, ac ne nutum
quidem, tribuendum esse voluntati
fluxivæ, priusquam à Deo ipso ad De-
um conversa sanari ceperit. Certum
est autem, in conuersione, voluntatem
adsentiri Euangelio, & non repu-
gnare oportere, & donec omnino re-
pugnat voluntas, nullam fieri conuer-
sionem: & cum assentitur voluntas,
non inuitam & coactam sed volen-
tem assentiri. Sed hæc ipsa facultas
applicandi se ad gratiam, seu adsen-
tendi Euangelio, non ex viribus vo-
luntatis fluxivæ, sed ab efficacia Spi-
ritus sancti per verbum auditum &
cogitatum mentes trahentis existit.

Et in

ORATIO DE STUDIO

Et in hanc sententiam, formas loquendi in locis Theologicis, quas reprobant aliqui, ab alijs etiam Lutheri & Philippi concordiam in hoc articulo retineri cupientibus explicari video.

Quod verò ad Pœnitentiam, toto tempore vitæ fidelium assidue durantem, & quotidiana fidei & Noe obedientiæ exercitia, in renatis ex aqua & Spiritu attinet: non dubium est, Tres causas concurrentes, in omnium Virtutum & bonorum operum effectione, Spiritum sanctum, verbum, & voluntatem conuersam rectè & piè coniungi. Ideò enim conuertitur voluntas, & à seruitute peccati & diaboli liberatur, non vt ignauium & iners ocium agat, sed vt Deo in Iusticia & sanctitate seruiat, & à Spiritu

THEOLOGIAE.

Spiritu Dei sancto acta, simul agat,
& agens adiuuetur.

DE PRAEDESTINATIONE
nostri ad vitam aeternam, non ex ra-
tionis nostrae imaginationibus, nec ex
lege, sed ex solo Euangelio Christi,
quod aeternae praedestinationis seu vo-
luntatis Dei de saluandis, patefactio
est, statuamus, non propter opera aut
merita nostra, sed gratuita Dei boni-
tate & misericordia, propter Chri-
stum electos esse ad vitam aeternam
ante mundi constitutionem, omnes,
qui per ministerium Euangelij & Sa-
cramentorum vocati, in Christum cre-
dunt, & in hac fide vsq; ad mortem
perseuerant. Nusquam enim nisi in
cœtu vocatorum, electi imaginandi
sunt. Et qui cœtui vocatorum per
D baptis-

ORATIO DE STUDIO

baptismum inserti, doctrinam Euangely audiunt, discunt, fide amplectuntur, & veræ fidei ac pietatis cursum constanter tenent; hi se ad vitam æternam prædestinatos esse, nihil dubitent. Hæc est enim voluntas patris æterni (de prædestinatione & salute æterna) vt OMNIS qui videt filium, & credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam.

Signa enim Electionis certa & indubitata habet: Primum, Promissionem Gratiæ & salutis æternæ UNIVERSALEM & Gratuitam. Ioh. 3. Sic DEVS dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Deinde sigilla promissionis, Baptismum

&

THEOLOGIAE.

Et cœnam Domini, quæ promissionem
Gratiæ & Salutis æternæ singulis
applicat. Tertiò FIDEM in men-
tibus nostris lucentem, qua nos Eu-
angelio credere, vel certè libenter
velle credere, & Gratiam Dei ac sa-
lutem æternam seriò desiderare, sci-
mus, vt Augustinus inquit. Cre-
dens scit se credere. Et Paulus 2. Co-
rinth. 13. Vos ipsos probate, an sitis in
Fide. Præterea Inuocationem Dei,
veram, assiduè & ardentè pctentem
& expectantem salutem. Rom. 10.
Omnis quis inuocauerit nomen Do-
mini saluus erit. Postremò promif-
siones de firmitate electionis & aũxi-
lio Dei confirmantis, & conseruan-
tis fidem nostram, vt in ea vsq; ad fi-
nem vitæ perseuerare possimus. Phi-
lipp. 1. Qui cæpit in vobis opus bonum,
D 2 idipsum

ORATIO DE STUDIO

idipsum perficiet 1. Corinth. 10. Fidelis
Deus. &c. Ioh. 10. Oves meae vocem
meam audiunt, Et ego vitam eter-
nam do eis, & nemo rapiet eas ex ma-
nibus meis. Luc. 22. Ego rogavi pro
te, Petre, ne deficiat fides tua. Ioh. 17.
Oro pro omnibus credituris. His pro-
missionibus fidem & Inuocationem
exuscitemus & stabiliamus, vt vnà
cum Paulo hanc *πληροφορία* usurpare
possimus: Certus sum, quòd nec mors,
nec vita, nec vlla creatura potest nos
auellere à dilectione Dei, qua nos dili-
git in Christo Iesu.

Ita doctrinam de prædestinatio-
ne, ad exercitia fidei & inuocationis
& consolationem salutarem transfe-
ramus, præidentes penitus, exemplo
Pauli, quæstiones curiosas, cur Deus
tantam

THEOLOGIAE.

tantam multitudinem ethnicorum, sapientia & virtute præstantium, tot seculis ad salutem æternam non vocârunt? cur permiserit hominem labi? cur non omnes qui credere incipiunt, in vera fide conseruet? &c. reiectis etiam Stoicis disputationibus, de æternis Parcarum tabulis, & fatali necessitate saluandorum aut damnandorum, quæ vel ad Epicuream prophanitatem vel desperationem mentes adducunt. Sed patefactionem voluntatis Dei in verbo traditam intueamur, quod pœnitentiam agere, & credere Euangelio, & retinere fidem ac bonam conscientiam iubet, & in fide vsq; ad finem perseuerantibus, coronam vitæ & salutis æternæ certò donatum iri adfirmat.

Hanc de controuersis inter quosdam

D ij dam

ORAT. DE STVD. THEOL.

dam confessioni nostræ adiunctos, & de cæteris omnibus doctrinæ Christianæ articulis, sententiam, normæ Verbi diuini, & communi Ecclesiarum nostrarum confessioni Augustanæ consentaneam, & vtilem ad veram pietatem in auditoribus excitandam & alendam, simpliciter, modestè & fideliter etiam in hac Academia, Deo docente & gubernante, auditoribus tradam; & legibus Academiæ, ac Iudicijs Senatus nostræ reuerenter obtemperabo; & communis concordie tuendæ meo loco studiosissimum me fore polliceor.

D I X I




Ca 692

ULB Halle
004 953 673

3



TAOC



Davidis Chytræj
ORATIO
DE STUDIO
THEOLOGICÆ, EXERCITIIIS
VERÆ PIETATIS ET
Virtutis potius quàm contentio-
nibus & rixis disputatio-
num colendo.



WVITEBERGÆ,
Excudebat Clemens Schleich.
M. D. LXXXI.

